



EXPOSITIO.

1. August. Alb. Magn. Cajetan. Hugo.

Bonus Magister magnum adjuvamen ad salutem.

Maximus.

Res magni ponderis in multo negotio habenda.

2.

Chrysof. Hilar. Origen. Anselm. Palat.

Actor. 10.

Ambros.

Græcus. Paschas.

Chrysof. Euthym.

Chrysof. Origen. Hilar. Anselm. Euseb. Ant. Ulyssip. Berengof. Tertul.

3. Jerem. 13.

1. Iustus Augustin. lib. 2. de serm. Domin. Albertus Magnus, Cajetan, Hugo, & alij hanc connexionem cum superioribus faciunt. Dixerat Dominus superiori num. 14. quod pauci inveniant viam vitæ; & quia quærentibus viam morale est, alios expertos interrogare; ne ergo decipiamur, occurrat Dominus, dicens: Attendite, seu diligenter cavete à falsis prophetis, ut ita hos fugiamus, & bonos magistros quæramus. Bonus enim magister, & socius magnum adjuvamen ad salutem. Tamen in hac interpretatione facit difficultatem, quod Dominus non dixit: Nolite ire ad falsos prophetas, sed quod ipsi veniant ad vos. Probabilior mihi videtur intelligentia D. Maximi Confessoris quæstione de Verbo incarnato. Docuit Dominus supra, viam cæli esse arctam, & angustam, nunc subdit: Cavete à falsis prophetis, qui dicunt, viam cæli esse latam, & laxam, ut ait S. Pater citatus: Extenuant peccatum, veniam facile promittunt; & vos in tartara ducunt. Quo enim tanti ponderis sunt, non in parvo negotio sed in multo appetianda, ut totis viribus laboremus.

Attendite à falsis prophetis. Hoc unicuique fidelium esse dictum, constans est Patrum sententia; Chrysofomi, D. Hilarij, Origenis, Anselmi, & aliorum. Palatinus tamen vult, hanc Domini admonitionem ad Episcopos, & Prælatos spectare, ut videant, ac considerent, quos rectores, ac ministros præficiant suis Ecclesiis. Et ita eis ait: Attendite à falsis prophetis; magna consideratione, & indagine attendite, ne hos falsos prophetas præficiatis vestro gregi, sed examine, an sit ovis, vel intrinsecus lupus rapax. Et ita dicebat Paul. Actor. 20. n. 28. Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos. Et ait Dominus, juxta D. Ambros. Attendite vobis, hoc est, in utilitate vestram; nam hoc negotium vestrum est, & vobis, & non aliis interest. A falsis prophetis, seu, ut est in Græco, Pseudoprophetis, per quos intelliguntur, ut advertit D. Paschasius lib. 4. in Mart. falsi, & mendaces doctores. Et cum munus antiquorum Prophetarum non solum esset, futura prædicere, sed etiam populum docere, & instruere de agendis: inde fit, quod apud Hebræos Magistri, & doctores prophetæ dicebantur. Per falsos Prophetas interpretantur hic Chrysofomus, hom. 19. in Imperfecto, Euthymius, & alij veritatis impositores, seu hypocritas, etiam non hæreticos, qui suis compositis verbis, ac falsis operibus, nempe simulato jejunio, oratione, ac elemosyna, multos decipiunt, & fallunt. Tamen D. Chrysof. citato loco. Origenes, D. Hilarus, D. Anselmus, Eusebius Gallicanus, S. Antonius Ulyssiponenis in Dom. 8. post Pentecostem Berengotius lib. de mysterio ligni Domini. Tertullianus lib. de præscript. de Hæreticis interpretantur; falsa enim docere, & prædicare; proprium est Hæreticorum.

Veniunt ad vos, non missi à Deo, sed à se ipsis, ac à sua ambitione, & depravata cupiditate. Jeremia 23. num. 21. Non mittebam Prophetas, & ipsi curbebant. Textus: In vestimentis ovium, hoc est, speciem simplicitatis, & lenitatis simulantes. In-

trinsecus autem, id est, in animo, sunt lupi rapaces id est, a vidissimè ad prædam, & ferocissimi, ut etiam dicitur Actor. 20. num. 29. Ubi pro rapacibus habetur in Syriaco, Graves, feræ.

QUÆSTIO I.

Cur nobis non mandet Dominus, falsos prophetas aspicere, vel punire, sed tantum ait, Attendite ab eis?

RESPONDET primò Chrysofomus, in Imperfecto homil. 19. Sciens Dominus, ait, quia non erant manifesti Gentiles, sed absconditi nomine Christiano: ideo non dixit, Aspicite, sed, Attendite. Aspicere enim est, simpliciter videre. Attendere autem est, cavere, considerare. Ubi enim certa res est, & indubitabilis, aspicitur, ubi autem incerta, & dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Christus, quia est in illis aliquid, quod aliis pro alio videbatur, aliud desuper posuit: aliud intus inclusit: ideo dixit, Attendite: ut sciat, quia non corporali attendendum est; sed vigilantia spiritali.

Aspicere, ut etiam ait Abulensis, est ad illud, quod palam videtur. Attendere autem est, cum perspicacia, ac magna consideratione intueri. Et quia isti falsi prophetæ non palam venturi erant, & dissimulato habitu, ac in vestimento ovium, ita ut ad eos deprehendendos magna sagacitas requiratur: ideo attentionis verbo usus est, cum in hoc negotio prudentia eximia cum singulari animi advertentia sit adhibenda. Ut ita maxime circumspici ad eos exequiendos redderemur. Nam, ut bene ait Chrysof. Magna virtus est, hominum cognoscere malum: & firma tutela salutis est, scire quem fugiat.

Quantum ad secundum. Non dixit Dominus, Punite, sed Attendite. Ad quod optimè respondet idem Chrysofomus homil. 24. in Matth. sic inquit: Considera lenitatem Domini: non ait, punite tales, sed tantummodo, ne ab eis ladamini, præcavete, & ne incircumspiciti, atque immuniti in eorum insidias incidatis. Magna Domini mansuetudo præcipit, ab his falsis prophetis nos custodiri, non tamen mandat nobis eos punire, ut ita consulto sit utilitas animæ nostræ absque ullius injuria, & offensione. Eorum autem supplicium Deo, omnium judici, relinquamus.

Secundò. Hæc verba: Attendite à falsis prophetis, ut dixi in expositione cum communi Patrum sententia, dicta sunt unicuique fidelium: nam quilibet hoc opus habet. Hæc est Domini depositio, ut unusquisque suum ordinem, ac gradum servet, & eum non transiliat, in alienum se intromittendo. Ab his falsis prophetis præcaveri, omnium erat, omnibus hoc negotium incumbat. At hos falsos prophetas supplicio afficere, non omnium res est, sed tantum ad superiores, ac majores hoc spectabat. Com autem hæc doctrina generaliter esset dicta ad universos fideles: ideo dixit, Attendite, seu præcavete: quod ad unumquemque pertinebat; non autem Punite, quod determinatas personas respiciebat. Hanc evangelicam doctrinam jam observavit David suis temporibus: nam infestissimum suum hostem

Abulens. 1. Reg. 24.

7. Indæ Epist.

Non te ingras in alieno officio.

Oecumen.

8. Genes. 1.

Chrysof. Terra missa est germinare, non judicare.

9. Ratio difficultatis. D. Thom. Matth. 11.

Abulens.

10. Alb. Magn. S. Thom. Abulens. Cajetan. Exod. 7.

hostem Saulem in spelunca noluit occidere, sed totum negotium Deo remittit, ad quem solum spectare credebatur, ut unctum regem interficeret, ut ponderat Abulensis quæst. 21. Et ita dixit: Judicet Dominus inter me, & te, 1. Reg. 24. n. 13. Ipse tamen, quod suum erat, præstitit; inimicum præcavens ascendit ad tutiora loca, ibidem num. 23.

Cum Michaël Archangelus, cum Diabolo disputans, altercetur de Moyse corpore, non est ausus, iudicium inferre blasphemia, sed dixit: Increpet tibi Deus: Judæ n. 9. Si Archangelus disputat cum Diabolo, cur ei non impingit censuram, ut sæpe altercantes faciunt; sed hoc divino iudicio submitit: Agoverat Michaël, quod argumentationes facere, ad militem, & inferiorem pertinet; at iudicium proferre, ad Dominum, & iudicem: Archangelus, quæ sui muneris erant, præstitit; quæ verò ad dominum spectabant, divino iudicio, ac sententia referret. Oecumen. Ex Archangelo Michaël manifestum est, cum adversus Diabolum disceptaret de corpore Moyse, ac posset eum ob impudicium maledictis iure incensere; id nimis sibi faciendum censuit, sed tantummodo dixit: Increpet te Deus.

In primo molimine Orbis ait Deus: Germine terra herbam viventem, & pomiferum lignum, Gen. 1. n. 11. Jubetur terra, omnibus suis fructus parturire, tam justis, quam injustis, sed cunctis indistinctè, cum injusti, ob sua scelera, omnium sint incapaces; justi verò omnium dignissimi. Deinde terra multoties ob peccatores exsiccata cælesti rore privatur; ob justos verò frequentissimè convenienti pluvia irrigatur: fecundatur: & tamen omnibus indistinctè jubetur germinare. D. Chrysofomus, in cap. 6. Matth. Terra missa est ministrare, non judicare. Ac si dicat: Terra præstet suum munus, quod est parturire fructus (non autem iudicium proferre) cuiusnam sunt communicandi. Vide supra cap. 10. n. 27. & 28. 29. 30. & cap. 11. n. 59.

QUÆSTIO II.

Quare Prælati, & doctores dicantur Prophetæ?

AIT Dominus; Attendite à falsis Prophetis. Quod hic per Prophetas intelligat, communiter quarunt omnes. Qui & fatentur, quod hic non est sermo de rigorosis Prophetis, qui futura prædicabant. Quia, ut advertit D. Thom. Lex, & Prophetæ usque ad Joannem, Matth. 11. num. 13. Unde in tempore illo non erant Prophetæ de Christo, quia in ipso finiuntur. Et ideo communis est omnium interpretatio, quod hic per Prophetas intelliguntur doctores, ac Prælati Ecclesiastici. In qua significatione multis aliis in locis sumitur, 1. Corinth. 14. num. 3. Quod aliis exemplis confirmat hic Abulensis. Quæritur hic tamen: cur Prælati, & doctores dicantur Prophetæ?

Communis solutio est Alberti Magni, D. Thomæ, Abulensis, Cajetan, & aliorum, quod, sicut aliquis participativè etiam Deus dicitur, quia vicem Dei habet, ut fuit Moyses Exod. 7. n. 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis; prout habebat

potestatem faciendi bonum, vel malum Pharaoni, prout ipse veller, sicut Deus facit omnibus rebus. Ita etiam per quandam catechesim Prælati, & doctores dicuntur Prophetæ, non qui a futura arcana penetrent, sed prout erudiunt populum in his, quæ ipse ignorat, prout habent officium aperiendi, & declarandi ea, quæ multis sunt abscondita, ut prædicando faciebant Prophetæ, qui videntes dicebantur. Unde bonus Prælati dicitur bonus Propheta, malus, falsus, & se ipse propheta. Et sæpe, ut moraliter dicens, isti mali Prælati & doctores sunt Prophetæ erga se, ut sibi utilia, ac convenientia provideant, erga alios falsi, ut ipsos decipiant, & seducant.

Tertiò, in sensu morali. Prælati Prophetæ dicuntur, quia ita debent esse de suo gregis solliciti, ut provideant, quæ eis sunt necessaria. Quartò, Verus Propheta non sequitur suum dictamen, ac spiritum, sed insufflationem Dei, ut ab ipso revelata doceat, & prædicet. Ita Prælati non sequatur impulsu suæ voluntatis, ut erga quosdam sit affabilis, & placidus; erga alios rigidus, & austerus, sed omnia disponat, ac gubernet, juxta Dei nutum, ac beneplacitum.

Inquit dilecta anima: Surge Aquilo, veni Aufer, & perfla hortum meum, Cantic. 4. num. 16. In hac brevi sententia, ut advertit Ghislerius, multa sunt notata digna. Postulat duos ventos sibi maxime contrarios, nempe Aquilonem, tempestuosum, & tepidissimum; ac simul Austrum blandum, & lenem. Et cum duos ventos efflagitet, ait: Perfla hortum; cum dicendum esset in plurali: Perflate, D. Paulinus Epistol. 3. ad Aprum. Et S. Ambrosius lib. 3. de virgin. circa medium, adducit in Appendice ab ipso Ghislerio, docent, quod sancta anima vinearum custos constituta desiderabat in hortum suum divinum Spiritum, qui aliquando ad nos venit in tenui, ac blanda aura, 3. Reg. 19. num. 12. aliquando verò in sono, ac tonitruo vehementi, Actor. 2. num. 1. Et ideo sponsa, cum loqueretur de divino Spiritu, in singulari ait: Perfla hortum meum. Sed si ipsa agnoscat lenitatem, ac vehementiam in divino Spiritu, cur non præscribit oratione sua modum, quo erat adventurus? Rectè sanè; illa enim in horto suo, non suam voluntatem, sed divinum beneplacitum requirebat; & ideo tantum negotium divino iudicio committit. Justus Orgelitanus, Aquilo, atque Aufer sunt diversa vocabula, unius Spiritus sancti insinuant dona: Aquilo, dum estuantibus refrigeria præbet, Aufer, dum duos ad credendum, vel benefaciendum resolvit. Et quoniam in duobus unus advertitur, non ait, & perfla hortum meum; inspira credentem populum, & redudent bona opera eius.

Ait Regius Vates Psalm. 77. num. 67. Tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda. Maxime inquirendum est; cur ille repellitur, & iste eligitur, cum Ephraim esset castissimi Josephi filius, & aut benedictione maxime adauctus, ut ponderat D. Augustinus, Ait Oseas cap. 10. n. 11. Ephraim vitula docta, diligere tritum, Arabi Judas. Per has metaphoras magna documenta nobis exprimit divina historia veritas, ut ait D. Hieronymus, Vitulus in area, dum triturae incumbit, absque domini nutu pro sua voluntate accipit, & comedit sive molitum, sive parum, prout ei placet. At dum vitulus est sub jugo, & in aratro versatur, glebas terræ subdens;

Magni Prælati sunt equaliter gubernet, juxta Dei nutum.

Paulinus, Ambros. Ghisler.

Orgelitanus.

August. Oseas. 10.

Hieron.

Illum Dominus ab officio respuit, qui pro nutu suo gubernat.

13.

Psalm. 77.

August.

Oseas. 10.

Hieron.

Illum Dominus ab officio respuit, qui pro nutu suo gubernat.

13.

Psalm. 77.